

## ORATIO SUPER PATER NOSTER [OrPat]

Esser: *Expositio in Pater Noster [ExpPat]*

<sup>1</sup> O sanctissime *Pater noster* (Mt 6,9b): creator, redemptor, consolator et salvator noster.

<sup>2</sup> *Qui es in celis* (Mt 6,9b): in angelis et in sanctis, illuminans eos ad cognitionem, quia tu, Domine, lux es; inflammans ad amorem, quia tu, Domine, amor es; inhabitans et implens eos ad beatitudinem, quia tu, Domine, summum bonum es, eternum **bonum**, a quo omne bonum, sine quo nullum bonum.

<sup>3</sup> *Sanctificetur nomen tuum* (Mt 6,9c): clarificetur in nobis notitia tua, ut cognoscamus, que sit latitudo (cfr. Eph 3,18) beneficiorum tuorum, longitudo promissorum tuorum, sublimitas maiestatis et profundum iudiciorum.

<sup>4</sup> *Adveniat regnum tuum* (Mt 6,10a): ut tu regnes in nobis per gratiam et facias nos venire ad regnum tuum, ubi est tui visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fruitio sempiterna.

<sup>5</sup> *Fiat voluntas tua sicut in celo et in terra* (Mt 6,10b): ut amemus te *ex toto corde*, te semper cogitando, *ex tota anima*, te semper desiderando, *ex tota mente*, omnes intentiones nostras ad te dirigendo, honorem tuum in omnibus querendo, et *ex omnibus viribus nostris* (cfr. Lc 10,27), omnes vires nostras et sensus anime et corporis in obsequium tui amoris et non in **aliud** expendendo; et proximos nostros amemus sicut ~~et~~ nosmetipsos, omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo, de bonis aliorum sicut de nostris gaudendo et in malis compatiendo, et nemini ullam offensionem dando (cfr. 2 Cor 6,3).

<sup>6</sup> *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (Mt 6,11): dilectum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, da nobis hodie, in memoriam et intelligentiam et reverentiam amoris quem ad nos habuit, et eorum que pro nobis dixit, fecit et sustulit.

<sup>7</sup> *Et dimitte nobis debita nostra* (Mt 6,12b): per tuam misericordiam ineffabilem, per passionis dilecti Filii tui **Domini nostri** virtutem et per beatissime **Marie** Virginis et omnium electorum tuorum merita et intercessionem.

<sup>8</sup> *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt 6,12b): et quod non plene dimittimus, tu, Domine, fac nos plene dimittere, ut inimicos propter te veraciter diligamus et pro eis apud te devote intercedamus, nulli malum pro malo reddentes (Rom 12,17) et in omnibus in te prodesse studeamus.

<sup>9</sup> *Et ne nos inducas in tentationem* (Mt 6,13a): occultam vel manifestam, subitam vel importunam.

<sup>10</sup> *Sed libera nos a malo* (Mt 6,13b): preterito, presenti et futuro.

<sup>11</sup> Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, [sicut erat in principio et nunc et semper, et in secula seculorum]. Amen.